

## INCIPIT AD THESSALONICENSES II

<sup>1</sup> Paulus, et Sylvanus, et Timotheus, ecclesiae Thessalonicensium in Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.\*

<sup>2</sup> Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

<sup>3</sup> Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat caritas uniuscujusque vestrum in invicem:<sup>†</sup>

<sup>4</sup> ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei, pro patientia vestra, et fide, et in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus, quas sustinetis

<sup>5</sup> in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini.<sup>‡</sup>

\* **1:1 Argumentum** Ad Thessalonicenses secundam scribit Epistolam Apostolus, et notum facit eis de temporibus novissimis, et de adversarii dejectione. Scribit hanc Epistolam ab Athenis per Titum diaconem et Onesimum acolythum. † **1:3 Gratias agere**, etc. Hic gratias agit Deo de bonis eorum, ne forte de tanto bono quod ex Deo habebant, extollantur, tanquam a seipsis habentes. **In invicem.** Ut scilicet, qui diligitur diligit alios, et mutuis obsequiis charitatem ostendat. ‡ **1:5 In exemplum justi**, etc. Si enim tam severe punit peccata in pœnitentibus, quid faciet induratis? Hoc dicit, ut intelligatur quod non parcit impiis qui non parcit justis. **Justi: si tamen justum est**, quod constat esse. Non enim ponitur hic, **si tamen**, pro dubitatione, sed pro affirmatione, unde alius interpres ait: **Siquidem justus est**, etc.

**6** Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant:

**7** et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cælo cum angelis virtutis ejus,§

**8** in flamma ignis dantis vindictam iis qui non neverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi,\*\*

**9** qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus:††

**10** cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo.‡‡

**11** In quo etiam oramus semper pro vobis: ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in vir-

**§ 1:7 *In revelationem.*** Incipit ostendere quam horribilis tribulatio illis, et quam jucunda requies istis futura est. \*\* **1:8**

**Domini Jesu.** Venientis **in flamma ignis** non quod sit flamma circumdatus, sed per effectum, quia inimicos exuret. **His qui non neverunt Deum.** Nam ali sunt qui nesciunt legem. †† **1:9**

**Qui pœnas dabunt.** Id est sustinebunt. Dare enim aliquando ponitur pro sustinere, ita et hic. Et congrue, qui enim patitur, dat ei quem offendit, pœnas quasi gratas. **In interitu æternas.** Quasi dicat: Semper sentient pœnas, non tamen semper deficient.

**Cum venerit glorificari,** etc. Ipse enim clarus et mirabilis videbitur in credentibus, severus autem apparebit in incredulos, cum eos pœnis æternis coarctabit. Et est horum verborum brevis sensus: Veniet punire malos, et glorificare bonos. ‡‡ **1:10 Quia testimonium.** Ideo vobis tribulatis dat requiem nobiscum, quia testimonium, id est quidquid diximus de illo die judicii, credidistis de gloria bonorum et pœna malorum.

tute, §§

<sup>12</sup> ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo secundum gratiam Dei nostri, et Domini Jesu Christi.

## 2

<sup>1</sup> Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum:<sup>\*</sup>

<sup>2</sup> ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos

**§§ 1:11 *In quo.*** Ordo verborum talis est: ***In quo die oramus, ut dignetur;*** id est dignos judicet: ***Semper oramus.*** Vel ***in quo,*** id est pro quo, vel cuius diei periculo vitando, semper orandum est. ***Opus fidei.*** Id est, confessionem quæ proprie est opus fidei in virtute, ut a confessione nullo modo flecti possint. Vel, opus fidei, omne bonum quod fides exigit: et sine quibus fides mortua est. ***In virtute*** perseverantiae, ut scilicet det vobis perseverantium usque ad finem. \* ***2:1 Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi,*** etc. Hucusque dixit se eis gratias agere et orare, hic determinat de die judicii, obsecrans eos ne leviter et facile de adventu Domini quasi de prope imminentि opinionem recipient vel terreantur.

missam, quasi instet dies Domini.<sup>†</sup>

<sup>3</sup> Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati filius perditionis,

<sup>4</sup> qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.<sup>‡</sup>

<sup>5</sup> Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?<sup>§</sup>

<sup>†</sup> **2:2 Non cito moveamini.** Quasi dicat: Si moveamini; cito est, nihil enim vobis infertur quod diu duret. **Neque per spiritum.** Id est, si malignus spiritus, quasi angelus lucis apparens in visione hoc vobis persuadeat. Vel, si quis dicat per Spiritum sanctum revelantem hoc se cognovisse quod dies judicii immineat, nolite credere. **Neque per Epistolam.** Solent enim tergiversatores, ut fallant, sub nomine clari alicujus viri epistolam fingere, ut auctoritas nominis possit commendare quod per seipsum recipi non posset. **Quasi instet dies Domini.** Non hoc ita dicit quin velit, ut habeant succinctos lumbos et lucernas ardentes in manibus, exspectantes quando revertatur Dominus a nuptiis.    <sup>‡</sup> **2:4 In templo.** Vel, **templum.** Nonnulli non ipsum principem tantum, sed universum corpus ejus, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso principe hoc loco intelligi volunt: rectiusque dici putant, sicut in Græco est, non **in templo**, sed **in templum Dei sedeat**, quasi ipse cum suis sit templum Dei, quod est Ecclesia. Sicut dicitur: Sedet in amicum, id est ut amicus.

<sup>§</sup> **2:5 Quoniam nisi venerit.** Occulte loquitur de destructione imperii Romani, ne irritaret eos ad persecutionem Ecclesiæ. Vel hoc dicit de spirituali imperio Romanæ Ecclesiæ, vel discessione a fide. **Nisi venerit refuga primum.** Sic aliqui codices habent. Quod nulli dubium est de Antichristo eum dixisse, quem refugam vocat: utique a Domino Deo. Si enim hoc de omnibus impiis merito dici potest, quanto magis de isto! **Filius perditionis.** Antichristus, non per naturam, sed per imitationem.

**6** et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore.\*\*

**7** Nam mysterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.††

**8** Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum:‡‡

---

\*\* **2:6 Scitis.** Eos scire dicit quid detineat, nec aperte exponit, et ideo nos nescimus, nisi quod quidam suspicantur de Romano imperio dictum fuisse, donec tollatur, vel de medio fiat. Et ideo Apostolum non id aperte scribere voluisse, ne calumniam scilicet incurreret, quod Romano imperio male optaverit, cum speraretur æternum. **Suo tempore.** Completa accessione ad Romanum imperium, et ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam, aderit discessio ab utroque imperio: qua impleta aderit ille iniquus, impleto tempore misericordiae quo plenitudo gentium intrat ad fidem: revelabitur discessio, et sic instabit dies Domini. †† **2:7 Nam mysterium,** etc. Jam in ipsis initiis accessionis invenitur iniquitas, sed mystica, id est pietatis nomine palliata, ut velint haberi ministri Christi cum sint pseudo. Diabolus occulte per Neronem et alios occidebat martyres, sicut per illum tunc aperte facturus est, occidendo Eliam et Enoch aliosque plurimos: et sunt Nero et alii umbra futuri Antichristi, sicut David et Abel Christi. **Donec de medio fiat.** Id est, tollatur illa potestas Romani imperii de medio mundi: quia omnes undique Romam quasi ad caput confluebant. Vel, qui fidem tenet, teneat, donec ipsa refrigerescat. Vel, qui detinet illum, id est accessio ad fidem, detineat, donec ipsa tollatur de medio. Vel, donec iniquitas, quæ modo est mystica, fiat de medio, id est quasi de communibus, ut non erubescat homo adulterari vel furari, sicut nec ambulare vel loqui. **De medio fiat.** Scilicet discessio, id est manifeste appareat: et tunc jam revelata discessione a Deo vero, jam refrigerata charitate ex abundantia iniquitatis revelabitur, etc. ‡‡ **2:8 Spiritu oris sui.** Id est virtute Spiritus sancti, qui dicitur spiritus oris, quia ab eo procedit.

<sup>9</sup> cuius est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, §§

<sup>10</sup> et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt: eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent.

<sup>11</sup> Ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio,

<sup>12</sup> ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

<sup>13</sup> Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis:\*\*\*

<sup>14</sup> in qua et vocavit vos per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.†††

<sup>15</sup> Itaque fratres, state: et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

<sup>16</sup> Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit con-

§§ **2:9 Mendacibus et in omni seductione.** Signa illa vocantur mendacia, vel quia non vera ut videntur, sed phantastica erunt. Vel si vera, Dei permissione ad mendacium trahent. **Ideo mittet illis Deus.** AUG., lib. 20, de Civit. Dei, c. 19. Deus diabolum ista facere permittet, etc., usque ad alias injustissime judicatum.

\*\*\* **2:13 Primitias in salutem.** Ut scilicet non in illo periculo tempore ultimo, sed in primitiva Ecclesia crederemus in Christum, atque fidem confiteremur. Vel, nos apostolos primitias omnium creditum, quia apostoli primi crediderunt, et hoc in salutem omnium gentium. ††† **2:14 In acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.** Vel, ut sitis acquisitionis, in qua Deus glorificetur.

solationem æternam, et spem bonam in gratia,<sup>‡‡‡</sup>  
<sup>17</sup> exhortetur corda vestra, et confirmet in omni  
 opere et sermone bono.

### 3

<sup>1</sup> De cetero fratres, orate pro nobis ut sermo Dei  
 currat, et clarificetur, sicut et apud vos:<sup>\*</sup>

<sup>2</sup> et ut liberemur ab importunis, et malis ho-  
 minibus; non enim omnium est fides.<sup>†</sup>

<sup>3</sup> Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et  
 custodiet a malo.

<sup>4</sup> Confidimus autem de vobis, in Domino, quo-  
 niam quæ præcepimus, et facitis, et facietis.

<sup>5</sup> Dominus autem dirigat corda vestra in caritate  
 Dei, et patientia Christi.

<sup>6</sup> Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine  
 Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab  
 omni fratre ambulante inordinate, et non secun-  
 dum traditionem, quam acceperunt a nobis.<sup>‡</sup>

**‡‡‡ 2:16 Et dedit consolationem.** Promittendo cœlorum reg-  
 num. **In gratia.** Id est per gratiam quam dedit, speramus æterna.  
 Vel hæc omnia dedit non merito nostro, sed in gratia sua.      \* **3:1**

**De cœtero, fratres, orate.** Orandum esse hortatur, ut dignetur  
 Deus doctrinam suam infatigabili cursu dirigere et transfundere  
 per ora apostolorum in aures audientium, et ab auribus in corda,  
 ut compescantur malorum seditiones.      † **3:2 Ut liberemur.**

A pseudo, ne nostros seducant, vel nobis insidias tendant. Vel,  
 liberemur ab importunis, id est infidelibus qui resistunt verbo Dei,  
 nec stant in portu quietis. **Et malis,** qui persequuntur infideles.  
 Ideo dico **liberemur;** quia nondum acceperunt omnes fidem per  
 me qui accepturi sunt. **Non enim omnium est fides.** Id est, nec  
 vobis orantibus omnes sunt credituri, sed tantum præordinati in  
 adoptionem filiorum.      ‡ **3:6 Denuntiamus.** De curiosis incipit  
 et otiosis, monens bonos ut eos corripiant.

<sup>7</sup> Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: §

<sup>8</sup> neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.

<sup>9</sup> Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. \*\*

<sup>10</sup> Nam et cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. ††

<sup>11</sup> Audivimus enim inter vos quosdam am-

---

§ 3:7 **Scitis quomodo oporteat nos imitari.** Et cum illi hæc non faciant, debetis vitare. Vel, non ambulant secundum traditionem. Scitis enim quomodo me habui, quod in illis non videtis, quasi dicat: Non est opus ut exponam vobis eam traditionem quia eam scitis, quod non inquieti fuerimus, ut ii qui aliena negotia curant, vagantes hac illac.      \*\* 3:9 **Sed ut nosmetipsos.** Notandum quia Apostolus non solum verbis docebat, sed hortabatur et factis. Idonei enim magistri est quæ docet verbis, operibus explere.      †† 3:10 **Quoniam si quis non vult operari.** Dicunt quidam de operibus spiritualibus hoc Apostolum præcepisse, alioquin si de opere corporali hoc diceret, in quo vel agricolæ vel opifices laborant, videretur sentire adversus Dominum, qui dicit in Evangelio: **Nolite solliciti esse, quid manducetis** Matth. 6., etc. Sed superflue conantur et sibi et cæteris caliginem obducere, ut quod utiliter charitas monet, non solum facere velint, sed nec intelligere, cum multis aliis locis epistolarum quid hic sentiat Apostolus apertissime doceat. Vult enim servos Dei corporaliter operari unde vivant ut non compellantur egestate necessaria petere. Nec est contra illud quod prædictum est: **Nolite solliciti esse quid manducetis**, etc. Non enim hoc ideo dictum est, ut non procurent quantum necessitati sat est, unde honeste potuerunt, sed non ut ista intueantur, nec propter ista faciant quidquid Evangelii præconio facere jubentur.

bulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes.<sup>‡‡</sup>

<sup>12</sup> Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiemus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.

<sup>13</sup> Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.<sup>§§</sup>

<sup>14</sup> Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo ut confundatur:

<sup>15</sup> et nolite quasi inimicum existimare, sed corripere ut fratrem.

<sup>16</sup> Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis.

<sup>17</sup> Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola, ita scribo.

<sup>18</sup> Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

---

<sup>‡‡</sup> **3:11 Curiose agentes.** Hoc factum abhorret disciplina Dominica, eorum enim deus venter est, qui foeda cura necessaria sibi provident. <sup>§§</sup> **3:13 Nolite deficere.** Quia etsi operentur, possunt tamen nonnullis indigere. Et ideo monet, ne illi qui habebant unde servis Dei necessaria præberent, hac occasione pigrescerent. Non enim in reprehensionem venit qui humanus est in largiendo, sed hic qui, cum possit laborem ferre, otiose vult vitam agere.

x

**Bibbia Vulgata Clementina na 1598  
Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria  
Migne edition 1880 in Latin**

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

---

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 18 Apr 2025 from source files  
dated 31 Aug 2023

7ca33455-379f-554d-a635-9009adbd90c5